

SENTENCIA DE LA ROTA ROMANA DE 18.VII.1991, CORAM C. BURKE

Omissis

I. *Facti Species*

1. Anno 1957, vigesimo expleto sueae aetatis anno, actrix Ordinem Benedictinum ingressa est, in quo duodecim annos permansit. Conventum cognovit prima vice anno 1964 cum incepit studia post-graduatoria in agro sociologiae in Universitate «Notre Dame», ubi ille huius materiae Professor erat. Normalis consuetudo discipulam inter et magistrum secuta est fere per lustrum, usque dum ipsa titulum «Master» recepit. A mense novembri 1968 ac per primum semestrem 1969, mulier quendam relationem cum aliquo sacerdote prosecuta est. Dispensationem vero a vita religiosa mensa februario 1969 petivit. Cum conventus interesse erga eam monstrare incepit, in initio mensis iulii definitive rupit cum sacerdote, ad matrimonii propositionem a professore factam accepit.

Nuptias contraxerunt mense augusto 1969 cum conventus habebat 44 annos, actrix vero 32. Quater prole laetificati sunt durante convictu co-niugali qui per fere decem annos valde felix videtur fuisse, quo tamen tempore transacto difficultates incooperunt, cum mulier amore ergo alterum sacerdotem capta fuit. Exinde pervenerunt ad separationem, et ad divor-tium mense septembri 1983.

Mulier libellum Tribunalis diocesanos tunc porrexit, declarationem nullitatis matrimonii petens. Causa illic incopta erat sed, convento sese opponente, ad Tribunal «X» advocata est. Post longam instructionem in qua circa triginta testes interrogati sunt, Tribunal unius Iudicis affirmativa decisionem die 2 amii 1986 protulit, sub capite defectus debitae discretionis in actrice. Convento vero appellante, causa tractata est apud Tribunal Appellationis ac, post novam instructionem, altera affirmativa Sententia lata est, die 30 decembris 1986.

Conventus nunc H.A.T. adivit, novam causae propositionem pe-tens. Advocatum rotalem sibi constituit, ac Advocatus ex officio pro actri-ce nominatus est. Actis causae inspectis (Acta scilicet quae tunc in Rota

recepta fuerant), nova propositio per Decretum nostri Turni, die 23 maii 1988, concessa est (cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, 115 (1990-III), pp. 341- 348). Non parvae morae tunc interpositae sunt, ob inertiam ex parte conventi eiusque Advocati. Die 17 maii 1990 dubium concordatum est in his terminis: «An constet de matrimonii nullitate, ob defectum discretionis iudicij in muliere actrice?» Post disceptationem in prima sessione Turni ad causam deciden-dam, quoddam «dilata» decretum est, eo scopo ut opinio peritialis quaeri posset. Peritia iam perfecta, lectis Restrictibus necnon Vinculi Defensoris Animadversionibus, hodie onus est nobis dubio sic exposito respondendi.

II. *In Iure*

2. Canon 1095, 2 statuit: «Sunt incapaces matrimonii contrahendi... qui laborant gravi defectu discretionis iudicij circa iura et officia matrimo-nalia essentialia mutuo tradenda et acceptanda».

3. Matrimonium est communis aspiratio atque vocatio partis quam maximaee humani generis. Datur vero naturale *ius ad connubium*, quod Ecclesia semper inter inviolabilia iura humana collocavit defenditque. Consequitur quod, si de persona adulta agatur, esse incapax matrimonio consentiendi quandam circumstantiam atque mendam *extraordinariam* re-praesentat, quae necessarie correspondere debet alicui extraordinario defec-tui in physica vel psychica personae indole.

In allocutionibus Rotae Romanae annis 1987 ac 1988 habitis, S.P. Joannes Paulus II de incapacitate consensuali sub c. 1095 tractavit. Nullum dis-crimen inter n. 2 ac n. 3 canonis faciens, institut quod incapacitas provenire debet a *gravi* anomalia quae spirituales hominis facultates —sive intellectum sive voluntatem— afficiat. Verba Summi Pontificis nullum dubium relin-quunt quod praecisione facta a classificationibus technicis vel medicis, so-lummodo seria turbatio vel pathologia humanae ‘psyche’ potest consensum invalidare. «Una vera incapacità è ipotizzabile solo in presenza di una *seria forma de anomalia* che, comunque si voglia definire, deve intaccare sostanzialmente la capacità di intendere e/o di volere del contraente» (AAS 79 (1987) 1457); «solo le forme più gravi di psicopatologia arrivano ad intaccare la libertà sostanziale della persona» (AAS 80 (1988) 1182). Ut patet, au-thentica interpretatio hic habetur, quae orientationem necessariam ac obli-gatoriam pro omnibus Tribunalibus in re maximi momenti praebet.

4. Sequitur exinde quod petitio declarationis nullitatis, in c. 1095 in-nixa, ne acceptari quidem debet a Tribunalibus nisi allegata possint corres-pondere alicui *gravi* anomaliae psychicae, praesenti in momento consensus

(«Una vera incapacità è ipotizzabile solo...). Si nulla exstat prae— (vel etiam post—) matrimonialis historia medica circa concretam psychopathologiam, si nulla est denuntiatio gravis deordinationis psychicae, si libellus loquitur tantummodo de simplici «immaturitate» vel de communibus indolis vitiositatibus, etc., tunc Tribunal, animadvertisens quod nullus «fumus» pro libello exstat, eum respingere debet.

5. In huiusmodi causis iudicandis, Tribunalia attendere debent ad probationem existentiae cuiusdam psychopathologiae eiusque gravitatis incapacitantis, potius quam ad terminologiam medicam adhibitam ad symptomata eius describendam (haec terminologia, uti bene notum est, constantes modificationes subit). Hoc patet ex verbis Summi Pontificis cum insistit in necessitate praesentiae «di una seria forma di anomalia, comunque si voglia definire...»

6. Possibilis alicuius gravis pathologiae praesentia est primum criterium quod vim apud Iudicem habet, cum ille decernere debeat utrum opera periti —psychiatrici vel psychologicci— utatur annon. Canon 1680 statuit: «In causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum iudex unius periti vel plurium opera utatur, nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat». Quare, si hic canon cum relata Summi Pontificis authentica interpretatione confertur, peritus advocari debet tantummodo si existant aliqua indicia de praesentia cuiusdam gravis morbi. Commentarium Societatis Iuris Canonici Statuum Foederatorum Americae, de hoc canone agens, animadvertisit: «whenever a marriage case on one of those grounds [c. 1095] seems to involve a psychopathology or mental disorder (*mentis morbus*), the services of an expert are in order» (*The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, 1985, p. 1013). Si rationabilia desunt indicia alicuius *morbi*, periti opera necessaria non est. Decisio in singulis casibus pertinet ad Iudicem.

7. Quae hucusque sunt exposita sequentia principia practica firmare possunt:

a) causa innixa in argumentis evidenter trivialibus acceptanda non est; Iudex libellum reiicere potest ac debet, si thesis allata videtur carere ullo fundamento (c. 1505 § 2, 4º),

b) acceptari *potest* causa in argumentis aliquantulum insubstantialibus innixa; tractanda tamen erit, ex regula, *sine* necessitate peritiae (nisi ex subsequentibus testimoniis possibilitas alicuius gravis conditionis psychicae exsurgere videatur);

c) causa quae prima facie indicat possibilem praesentiam, momento consensus, alicuius gravis anomaliae psychicae (quae causa, uti par est, acceptari *debet*), peritiam *utique* ex regula requirit;

d) Sententia Affirmativa, incapacitatem consensualem respiciens, exigit peritiam *quae eam suffragetur*; quia decisio Affirmativa inniti debet in praesentia (medice quoque confirmata) anomaliae psychicae gravis;

e) Sententia vero Negativa suffragium peritiae non requirit. Aliis verbis, decisio Negativa ferri potest etiam *contra opinionem peritialem*, *dummodo Iudices concludant hanc opinionem componi non posse cum testimoniorum pondere quod ex ceteris Actis emergit.*

8. Quoad hoc posterum punctum, praetermittere non oportet esse *integra Acta*, ac non solam peritiam, quae probationem iuridicam praebere debent praesentiae (vel minus) cuiusdam gravis anomaliae psychicae causantis incapacitatem. Est vero competentia ac responsabilitas Iudicis perpendiculariter Acta ad considerandum utrum confirment praesentiam anomaliae, quae sive intellectum sive voluntatem nupturientis substantialiter minaverat. Hoc facere essentia quidem est muneris quod Iudici committitur. Opiniones peritiales, si quae sint, considerari debent, iuxta normam c. 1579, sicut unum adhuc elementum —medice quidem qualificatum, iuridice tam minime conclusivum— instructionis causae.

9. In casu sub iudice, Sententiae affirmativae in prima ac in secunda instantia latae, non parum innituntur argumento quod invalidans defectus discretionis iudicii exhibetur per decisionem matrimonium contrahendi cum persona erga quam quis non habet amorem *sensibilem seu affectivum*; vel ex electione matrimonii ob motiva ab amore *distincta*. Inaceptabile autem est hoc argumentum.

Quoad plerosque nupturientes, decisio matrimonium ineundi ex regula fit sub influxu fervidae affectivitatis. Aliis vero in casibus agitur de sereniore decisione cum quieta ponderatione facta. Rationabiliter quis potest sustinere quod haec decisio maiorem discretionem iudicii, et non minorem, quam illa exhibet (cfr. decis. coram infrascripto, in una *Romana*, diei 16 decembris 1987, nn. 4-6). Praeterea, decisio alteram personam uti verum coniugem acceptandi, in quantum appretiationem singularem erga eam demonstrat, semper pro actu amoris, sensu verissimo, teneri potest. Hunc tamen amorem non necessario comitari debet affectivitas sensibilis; ac si sic comitetur, nulla essentialis «discretio» ex hoc ei tribuere oportet.

10. Motiva contrahendi perraro permittunt ut Iudices ad gravem discretionis iudicii defectum concludant. Cum de c. 1095 agitur, discretio examinari oportet cum referentia non ad motiva contrahendi, sed ad essentialia iura et officia ipsius matrimonii. Nulla defectum discretionis probatio oritur, exempli gratia, si demonstretur quod quis nuptias inivit praeципue ex desiderio prolem habendi. Revera inter principalia motiva matrimonium contrahendi enumeratur desiderium prolis, saltem paris mo-

menti ac amor sensibilis vel sexualis. Immo, qui nuptias init ob profundum proliis desiderium, magis maturam ac *discretam* comprehensionem matrimonii generatim exhibit quam qui ex simplici amore «romantico» contrahit; quia ille verosimilius quam hic meditatus sit super exigentias obligationesque vitae matrimonialis.

11. Etsi possibile est loqui de «discretione» eo sensu ut significetur prudens vel sagax electio compartis pro matrimonio, non est iste sensus vocabuli sicut in c. 1095 adhibetur. Nupturientes persaepe coniugis electionem faciunt quam alii insipientem considerant (quo no obstante, multa matrimonia sic contracta perbonum exitum habent); attamen, etiamsi huiusmodi electio oculis multorum imprudens videatur, hoc, sub aspectu iuridico, est irrelevans sicut index discretionis pro valido consensu requisitae. Invalidans defectus discretionis iudicij relationem habeat oportet, non cum persona uti consorte electa, sed (ut ipse canon specificē animadvertisit) cum iuribus officiisque essentialibus ipsius matrimonii institutionis.

12. Quod quis matrimonium ineat quin comparatem plene cognoscat, est forsitan signum imprudentiae, minime autem invalidantis defectus discretionis. Obiectum talis defectus oportet semper esse unum ex iuribus/officiis quae matrimonio sunt essentialia, minime vero «auto-cognitio», vel cognitio alterius partis, vel adaequata praevision exitus quem convictus coniugalis habere potest. Id quod unice interest, sub respectu legis canonicae, non est recta aestimatio personarum, sed sufficiens capacitas iudicium de essentialibus matrimonii iuribus vel officiis ferendi.

13. Valde praestat in clara luce collocare quod testimonia (etsi voluminosa) de levibus indolis vitiositatibus, vel de cotidianis affectuum tensionibus, omnino imparia sunt ad sustinendam sententiam de gravi discretionis iudicij defectu. Id quod absolute requiritur est probatio cuiusdam gravis psychopathologiae. «Mera psychopathia, quae verus morbus non est, per se patientem incapacem eliciendi validum consensum matrimoniale non efficit» (c. Di Felice, diei 12 decembris 1970, SRRD, vol. 62, p. 1153). «Non quivis defectus aequilibrii vel maturitatis sufficit ad inducendam matrimonialis consensus nullitatem: istam inducere tantummodo valet defectus talis qui contrahentem efficiat incapacem liberae electionis vel adsumendi onera essentialia atque in specie tria connubii bona» (c. Pomedda, diei 3 iulii 1979, SRRD, vol. 71, p. 388).

14. Instructio causae ad hunc scopum dirigitur ut, per quaestiones pertinentes ac per responsiones non minus concretas, colligantur testimonia, opiniones atque facta quae pro casu sub iudice relevantia sint. Insequitur quod instructio quae perperam perficitur, impedimentum est pro processu iustitiae. Civiles vero iudices generatim curant ut testes ad rem

respondeant; nonnulli iudices ecclesiastici videntur potius viam testibus sternere ut ad libitum pervagentur. Si c. 1553 statuit quod «Iudicis est ni-miam multitudinem testium refrenare», eiusdem pariter est refrenare excessivam loquacitatem, ex parte testium, vel simplices vagationes quae non sunt ad rem. Hoc non observans, deficienti instructioni favet. Dicendum vero est quod modus instructionis ab aliquibus Tribunalibus adhibitus ad hoc confert. Quaestiones testibus propositae relationem concretam cum specifico capite iuridico, de quo in casu, saepe non habent. Earum scopum potius esse videtur testes instimulare ad longe lateque discurrendum circa qualescumque aspectus personalis historiae partium: familiam, infantiam, educationem, ingenium, etc. Consequitur quod testes se (atque ipsos Iudices) perdunt in labyrintho circumstantiarum quae ad rem nihil conferunt.

15. Quia causa hodie sub iudice irrelevans non est, obiter quoque notare possumus quod c. 1553 iudici permittit ut rationabilem limitem ponat numero testium quos partes advocare volunt. Canon minime facultatem ei tribuit seligendi inter depositiones *iam factas*, ad decidendum quae-nam iudicialiter ponderandae ac in Actis includendae sint. Iudex, pro sua conscientia, plus vel minus fidem uniuersique depositioni tribuet; sed onus ei est omnes ponderare, omnesque in Actis definitivis referre. Alioquin, Tribunal alicuius superioris instantiae impediretur ne *omnia* testimonia considerare posset.

III. *In Facto*

16. Iudex primae instantiae, can. 1553 perperam invocans, plurimas depositiones —non minus quam septemdecim testium— ab Actis causae exclusit (I. 425; cf. II. 129). Ne unum verbum ex his depositionibus in alterutra instantia citatur. Hoc «unjudicial selectiveness» (uti vir conventus id descriptis) inter motiva ad novam causae propositionem concedendam enumerabatur (cfr. Decretum Turni 23 maii 1988, n. 2 c). Tribunal primae instantiae affirmavit has depositiones exclusas fuisse quia non censebantur esse «helpful or necessary or all that insightful» (I. 425). Nobis e contra videtur quod magna earum pars meritum causae substantialiter attingit. Cum haec testimonia ad nos pervenissent (a sede vero nostri Tribunalis necesse fuit ea requirere), vidimus illam ulteriorem instructionem, quam antea facere cogitavimus, iam non esse necessariam. Iudicis utriusque instantiae loquuntur de illis testimoniiis sicut «Unincorporated Testimonies»; pro nobis autem tertium Actorum volumen constituunt.

Examen omnium huiusmodi Actorum (quae plus quam 800 foliis constant!) in clara luce ponit quod *nullum* fulcimentum praebent pro thesi gravis defectus discretionis iudicii ex parte mulieris actricis. Proinde, uti in sectione *In Iure* exposuimus, ratio valde exigua —ac nulla necessitas— exsistebat ad opinionem peritialem quaerendam. De illo enim genere casuum agitur in quibus improbabile omnino est quod gravis anomalia psychica diagnosticetur; immo, etiamsi diagnosis in illo sensu revera daretur, a iudicibus oportebat ut respueretur, utpote in contradictione cum immenso pondere aliarum testificationum. Rebus sic stantibus, nostra mens, in primis, fuit de nulla peritia in hac instantia quaerenda, utpote quae manifeste inutilis foret. Attamen, cum in Turno nos congregavimus ad causam decidendam, res maturius perpendimus. Hoc vero non erat ob qualemcumque disreceptionem inter nos quoad meritum causae; mens nostra, post plenam disceptionem, erat simpliciter quod, viso tum profundo discrimine inter causae partes cum magno studio quoad eius adaequatam clarificationem a convento exhibito, peritus utique nominandus erat, non tantum ad opinionem professionalem dandam circa possibles anomalias psychicas ex parte mulieris actricis, sed etiam ad valorem peritiae iam factae aestimandam. Ponens igitur «dilata» decrevit, eo scopo ut novam peritiam quaeri posset.

Iudices secundae instantiae animadvertunt: «the volume of testimony... is clearly excessive. However, because of claims of injustice and improper procedure made by the rsp, it was necessary to take everything into consideration»... (II, 139-140). Minime tamen patet hoc ab eis factum fuisse. E contra, dum quis praesumere debet Iudices Acta legisse, *nullum* exstat indicium illos depositiones testium ponderare ac comparare conatos fuisse, ad contradictiones vel incongruentias inter eas rimandas et resolvendas. In Sententia eorum, quae ex 29 foliis constat, ne semel quidem refertur locus concretus in Actis, nec *unum quidem verbum* alicuius testis citatur (nisi exceptionem admittamus in fol. 28, ubi *Advocatus*, duos testes breviter citans, citatur). Iudices vero notant conventi obiectionem —«Robert speaks of 'strongly conflicting testimoni' ruling out the possibility of moral certitude» (II, 143)— sed nullo modo solvunt difficultatem quam ipse ponit.

17. *Credibilitas actricis.* Prima Sententia affirmat: «Not one witness questioned the credibility of Jeanne» (I, 430). Attamen, ex testibus quorum depositiones exclusae fuerant, John D. dubitavit de eius rectitudine nec non credibilitate (III, 74/7); item fecit Lilian F. (ib., 86 in medio; cf. 93; 129). Ambo testes hoc iteraverunt in secunda instantia (II, 60; 74), una cum aliis multis: James T. (II, 53); Joyce W. (56); Edward V. (63); Dennis T. (70-71); William M. (77). Secunda Sententia nihil circa hoc refert.

18. *Actricis maturitas.* Eius mater, rogata utrum actrix matura fuisse cum nuptias contraxit, respondit, «she was mature in a lot of ways»... (I, 287). Richard L., amicus utriusque partis ac in nuptiis patrinus, dicit: «she is a very practical, down to earth kind of person, very resourceful and self-reliant and capable of managing things. She is a very pragmatic person» (I, 355/6). Una ex monialibus quae in monasterio cum ea erant, affirmat quod in vita religiosa, «she seemed like one of the most adjusted of those within our class» (I, 325/13). Frater vero conventi testificatur: «In my judgment they were more than mature or responsible to marry» (I, 372/5). Pro aliis testibus qui declarant eam maturam fuisse, cfr I, 315/8; 318; 386/5: 427-428; et praesertim 429.

Ex illis «Unincorporated Testimonies», William B., amicus conventi a 30 annis, utriusque autem a nuptiis, testificatur: «I feel that both parties were very mature and responsible in reaching the decision to marry» (III, 65). Maturitas utriusque confirmatur a James T. (III, 66/4 § 5), Betty D. (III, 69), John D. (III, 76/20). Ex.mus. Archiepiscopus K.F. modo categorico affirmat: «They were very mature people sound in mind and body» (III, 60/5).

Moniales quae vixerant cum ea in domui religiosa de eius competencia in munere adimplete fidem faciunt: «She did enjoy teaching and did a good job and was well liked by the students» (III, 25); «she taught well, she was devoted to her class and to her work» (III, 36/7). Katherine K. affirmat vitam disciplinamque religiosam difficiles pro actrice fuisse; sed, cum rogatur utrum deditio actricis superficialis fuisse, negative respondit: «I don't think I would call it superficial. I think she tried real hard» (III, 19). Sr. Idamarie P. dicit: «At the time when Jeanne entered religious life I believe she was convinced that was the place she wanted to be... Jeanne was not truly happy in the religious life, because she was too tied down and could not exercise her independence as she would have liked» (III, 25). Id quod hic illustratur est sincerum ad religiosam vocationem vivendam conamen —«trying real hard»—; quod quidem per duodecem annos, difficultatibus non obstantibus, pertractatum est; revera per hoc immaturitas vel voluntatis debilitas non demonstratur.

Utcumque, non desunt indicia iuxta quae actrix, sicut monialis, a mundo valde segregata minime erat. Una ex monialibus quae cum ea convixerunt affirmat quod, in monasterio, erat «a strong, visionary leader for change in our community» (I, 322). Postremis illis annis, in quodam «radical group» (III, 30), ac in aliqua manifestatione pro «social justice», participavit (I, 331; III, 35; 41), activam vitam «socialem» sustinuit (III, 25), atque relationem amatoriam cum sacerdote persecuta est.

19. Aliqui testes loquuntur de impulsiva indole actricis (I, 426-428; III, 42/14). Conventus tamen insistit quod «despite appearances to the contrary, impulsiveness is alien to her makeup» (I, 212). Eius sororia testificatur: «If you've ever been shopping with her you'd know she was never impulsive at all! She takes hours to make decisions and looks at it from every single angle. She is a very thorough researcher and not at all impulsive in that way» (I, 307/10). Ipsa actrix, affirmat quidem se esse impulsivam, attamen addit: «I do assess things from all angles though» (I, 260).

Forse quis facile concludere posset, ex textu Sententiarum, quod actrix speciale interesse conventi erga eam primum tantum cognovit una vel duabus hebdomadibus ante ipsam decisionem matrimonium contrahendi. Ipsa actrix tamen deponit mense martio vel aprilii fuisse —quattuor nempe vel quinque mensibus ante nuptias—, cum ipsa de hoc interesse certior facta sit (I, 78).

Nonnulli testes offerunt opinionem (quam quidem Iudices suam faciunt) quod actrix se praecipitavit ad matrimonium contrahendum ob excessivum securitatis studium, provocatum ab eius discessu a monasterio. Eius mater hoc tamen respuit: «I don't think she was panicky in that sense because she's a very resourceful girl... she talked about getting out and getting a job...» (I, 288). Sr. Henrita O. (quae Magistra novitiarum pro ea fuerat) fidem facit quod actricis decisio dispensationem a vita religiosa petendi minime praeceps erat: «she had been thinking about that for quite some time, she told me» (I, 314/5); «... she was mature enough to marry, yes» (I, 315/8). Conventus autem eam describit sicut «an incredibly strong-willed woman who plans every move with infinite care» (I, 469).

20. Iudices, innixi in thesi quod defectus debitae discretionis facile oritur ab statu conflictus emotionalis, contendunt quod licet concludere hoc accidisse in casu, visa decisione actricis nuptiis cum viro amato renunciandi ac eas cum altero non amato ineundi (I, 435; cf II, 150).

Imprimis dicendum est quod absentia amoris erga virum conventum ex parte actricis, in momento contrahendi necnon in primis matrimonii annis, minime patet. Ipsa actrix, rogata utrum carnale commercium cum convento ante nuptias habuisset, respondit: «No. There was a sharing of affection but we never did sleep together» (I, 86/29). Testificatur insuper de eorum reactione cum certiores fierent de primogenito nascituro: «Those were happy times... After the baby was born everything was fine... I loved his family... It was good times» (I, 91-92/34; cfr I, 95/45). Conventus autem: «I thought for nine, upwards of ten years that we had a wonderful marriage» (I, 151). Interrogata circa conventu affirmationem nullas inter eos graves dissensiones adfuisse, decem quasi annis vitae matrimonialis du-

rantibus, actrix commentatur: «that's because I kept all of my feelings to myself and internalized it which I admit was a huge mistake on my part» (I, 177). Concedit quod «there were almost no arguments» (I, 179).

Frater conventi, «detected no problem in the marriage until... 1979» (I, 373). Richard L. : «They seemed to be in love. It was kind of romantic love... I'm sure there was some love and affection there» (I, 357/15). Actricis amica Lois R. deponit de felicitate convictus coniugalnis in primis annis (I, 341/11). Idem facit conventi soror (I, 381/5-7).

21. Ut de «Unincorporated Testimonies» aliquid afferamur: actricis cognata meminit eam valde felicem fuisse die nuptiarum (III, 16). Sr. Idamarie P. testificatur se partes visitavisse, matrimonio durante: «They seemed to be happy together then and seemed as if they could make this marriage work» (III, 26). Et Mary W. eos visitavit, cum ter prole laetificati erant: «she seemed to be very happy and I saw nothing adverse» (III, 53/3). Sigrid H. quoque eos pluries post nuptias visitavit, nec in primis occasionibus speciales difficultates notavit («I didn't realize there was any tension then»). Tantum anno 1979 (decem scilicet annis post nuptias) animadvertisit quod «they were in big trouble» (III, 42/17). Michelle M., quae, utpote vicina, actricem cognovit erga finem anni 1976 vel anno 1977, affirmat: «At the beginning I had no reason to suspect there were problems» (III, 47/6).

Speciali quidem modo mirari oportet de omissione testimonii Exc.mi Archiepiscopi K.F. Iam sacerdos factus, conventi discipulus erat, annis 1965-67, eodem nempe tempore ac actrix. Utramque partem bene cognoscerebat, atque ab Anglia iter fecit praecise ut in nuptiis praesens esset (ipse vero in ritu celebrationis concelebravit: I, 455). Ipse dicit: «They got married because they were deeply in love with each other. This was very clear to all who knew them» (III, 59/5). «Knowing this couple and their educational background, I am sure that everyone would have given this marriage 99.9 chances of success» (III, 60/5).

22. In postremis secundae Sententiae reflexionibus, conceditur: «There is a good deal of testimony indicating that Mary Jeanne W. gave the appearance of being a loving and devoted wife and mother for a time», attamen cum commentario: «but when this is viewed in the total context of her life and what happened after she was married for a time, there is little doubt that she was staging a show and that she was not able to carry it off because a genuine bond of love and acceptance was lacking from the very beginning» (II, 149-150). Revera non pauca exstant testimonia —praesertim in illo «Unincorporated Testimony»— quod actrix «for a time» (per decem fere annos), uxor amans ac dedicata mater fuit. Iudices tamen, totum hoc plane praetermittentes, ad conclusionem pervenient quod ipsa «was sta-

ging a show» (quod, si verum fuisset, demonstraret insolitum gradum deliberatae voluntatis et forsitan etiam malitiae, minime vero defectus debitae discretionis).

23. Etiamsi concederetur actricem conventi valde «inamoratam» non fuisse, indicia abundant quod eius decisio eum nubendi fuit conclusio processus maturatae calculationis. Sine dubio aliqua conflictatio *affectiva* in actrice habebatur, mensibus ante matrimonii celebrationem. Iudices tamen nihil faciunt de possibilitate quod quis talem conflictationem deliberate resolvere potest per electionem matrimonii cum persona erga quam minus attractionem emotivam sentit.

Iudex primae instantiae affirmat: «She married to satisfy her perceived needs, not to love and accept the person of Robert V.» (I, 434). Matrimonium autem inire ad perceptas necessitates satisfaciendas, electionem valde deliberatam implicat, ac *exercitium* potius quam defectum discretionis constituit. Sat mirum est quod Iudex, qui cum approbatione loquitur de modo quo actrix monstravisset illam «very discreet decision to break off the relationship with Charlie...» (I, 432), negat tamen praesentiam discretionis in concomitante decisione matrimonium cum Roberto contrahendi.

Iudex, enumerans *multa* motiva quibus actrix impellebatur ad matrimonium cum convento contrahendum, addit: «The Court admits that many of the factors that motivated Jeanne to marry were good and proper». Conventus autem notat: «That array of motives was the product of mature reflection by a thirty-two year old woman who had figured out with great precision what she getting into» (I, 461; cf II, 30/12).

Secunda Sententia declarat: «she was already beginning to weigh the advantages and disadvantages of both men in her mind. She knew that she was in love with Charlie, but he could not offer her any stability or security, and he did not want children. Robert could provide stability and security, and he definitely wanted children» (II, 125). Hic potuerunt citare actricis fratrem Stephanum deponentem illam haec praecisa motiva ad matrimonium acceptandum sibi dedisse (I, 292-3/5). Cognata actricis, Vanessa, de eius decisione eodem modo iudicat: «She had met the love of her life [Carolum] but had wanted something he was unwilling to give her and met someone who would give her this thing. Her mother had always told all of them that they could always fall in love with the person they married and I think she was banking on that. He would turn out to be the security and the caretaker» (I, 309/12).

Ex testibus quorum depositiones omissae fuerunt, Katherine K., rogata circa repentinam actricis rupturam cum amico sacerdote necnon eius decisionem ineundi matrimonium cum convento, explicationem offert:

«Jeanne has a practical streak, there is a realism in her and I think she recognized there was not much security in Charlie...» (III, 21/14); addit quod actrix conscientia quoque erat de oppositione familiari quae orta esset erga matrimonium cum sacerdote (III, 23/22). Sr. Mary David O. utrumque punctum confirmat (III, 29, 13); ac insinuat quod matrimonium, pro actrice, «was at least a good catch in one sense. He was a professor» (III, 30/17; cfr. III, 41/13). Sr. Evan R. (quae eius Superiorissa fuerat) suggerit quodam intimius motivum, quidem de conscientia: «Basically, I think her own conservatism won out and she wasn't able to go as far as Charlie was able to go» (III, 36/8).

Hoc concordat cum eo quod alia monialis, Mary W., ei dixit. Actrix consilium ab ea petivit, illo tempore cum conventus manus eius iam petebat ac ipsa erga Carolum sacerdotem attractam adhuc se sentiebat: «At that point she wasn't sure. She thought he [conventus] was a very nice man, he was very good to her. She didn't know whether she really should let herself go and see how she felt about him because at that time she was also sort of involved with a priest... and she wasn't sure if she wanted to give that relationship up and enter into a *real* relationship with Bob. My comment to her at that time was, «Jeanne, I don't know anything about Bob. I don't know anything about the priest at St. John' with whom you're kind of walking on ice. You're just going to have to let yourself go with Bob in order to make a decision whether you like him or don't like him or if he is for you and you are for him...» So from that time on it seemed as if they were together very, very much...» (III, 52). Conventus vero speciali modo quaestus est de omissione testimonii Mary W. quia «She was instrumental in our courtship» (I, 455).

Mater vero actricis dicit: «I think Jeanne was in love with the idea of marriage and family and this man was going to provide that for her. She just figured it was not this kind of a thing that she could bet on coming along more than once so she was going to jump at the chance. She felt she could learn to love, that I know...» (I, 302).

Florence L., conventi secretaria anno 1969, affirmat quod, illa aestate, «she pursued him [conventum] shamelessly visiting him at the office daily. She was... certainly mature enough to know what and whom she wanted» (I, 388).

Ipse conventus, rogatus quare Jeanne matrimonium cum Carolo non inivisset, respondit: «From what she told me, basically because he was a priest and secondly because he didn't want to have children. It was a rational calculation on her part. It doesn't bespeak to me, however, any lack of due discretion» (I, 158/80).

24. *Phantasia psychologica.* Tribunal secundae instantiae, postquam agnoscit, «realizing that we run the risk of being accused of 'parlor psychologizing'», pergit ad dandam propriam analysim ingenii actricis ac eius indolis psychologicae: «Whatever she does, she does intensely. She adopts convictions strongly and readily, but her judgements often are not firmly rooted. She is impressionable —easily influenced. She takes off on flights into romantic fantasy... In the long run, she seems inconsistent... In her relationship with men, she tends to be egocentric, inconsiderate, demanding, and manipulative. She is in control of the situation while seeming to be helpless and dependent. She was living out one of her well-thought-out and well-staged fantasies when she contracted marriage with Robert V. Reality was a far cry from her fantasy. She continued living off of her fantasy until she had the four children she wanted and then rejected the man she had used because he was not the man she married in her fantasy» (II, 147).

Qui phantasiae indulgit potius videtur ipsum Tribunal esse. Pondus testimoniorum minime indicat inconsiderationem sentimentalem, sed deliberationem valde curatam, ex parte actricis. In suffragio huiusmodi facti, iam attulimus plurima testimonia quae Tribunal utriusque instantiae vel neglexit vel exclusit. Quod tamen mirabilius videtur, ex parte Iudicium, est praetermissio ponderandi *ipsa actricis verba*, cum describit non solum suas emotiones, sed etiam motiva sua, suasque cogitationes ac deliberationes, per periodum temporis quod nostra interest: rationes ob quas (et tempus quando) monasterium relinquere decrevit; atque, postea, cum sacerdote, Carolo, rumpere statuit; et tunc profundius cogitare incoepit circa utilitatem matrimonii cum Roberto. Omnia rationale calculum indicant; indicium vero «phantasiae» nullum exstat.

25. Quoad eius discessum a monasterio in illo tempore, testificata est: «It wasn't because of Charlie that I thought about leaving... I wanted a mate, I really did, and I wanted a family. Living the celibate life was very, very difficult and felt very unnatural to me. I'm a very physical person...» (I, 75/16).

Motivum praecipuum quare relationem cum Carolo abrupxit erat quia ipse non volebat filios quos ipsa desiderabat. «I could see that it wasn't going to work... The end of April, all of this was falling in focus for me. I knew I loved him a lot but one of my main wishes in life was to have a family and he didn't want that. Secondly, I wasn't really as radical as he... I knew I had to let go of him...» (I, 75-76/12).

«My heart was all with Charlie and my head was with Bob... I knew that Charlie didn't have the stability that I needed or the job and finan-

cial security and didn't want children... so I began to look at Bob as a possible, looking at these contrasts» (I, 80-81/21).

«I just tumbled into it without really assessing and thinking much. I certainly didn't assess my heart. It was all head issue. Bob wanted to take care of me; he wanted to have a family... I knew in my heart I really wanted to love him and I intended to be faithful to the marriage. I really intended permanence and I knew it was a sacrament and a serious promise. There were no mental reservations in my mind.... I did know I didn't love him... but I did know that I would give it my best shot to learn to love him» (I, 84/25).

Si quis dicit, «I did know I didn't love him», sine ullo dubio illa «assessed her heart» (modo accurato vel minus; complures enim testes affirmant eam sincerum amorem erga conventum exhibuisse). Cum tamen addit, «It was all head issue», ipsa testificatur in decisione eius se discretione non carere sed —ut ita dicamus— «nihil fere aliud» ac discretione usam fuisse...

«My mother had said to me, «Do you love him?»... I said, «He loves me very much». I really didn't answer her question. I told her that I knew he cared a lot about me and that we would be able to make a good marriage... I knew that we could have children together... and that we both wanted a family and there would be a nice life together»... «there were those misgivings that I was going to have to learn and put a lot of effort into it but I thought I was up to the task. My mom did sow some seeds of doubt in my mind about, 'Do you really love him?'...» (I, 86/30). Defectus vero discretionis invocandus forsitan foret si actrix se, sine ulla dubiis vel haesitationibus, matrimonium inivisse asseruisse. Cum contrarium agnoscit, in claram lucem profert factum quod decisionem suam plene cogitavit ac deliberavit. Iudicis eam depingunt sicut personam quae in mundo «phantasiae» vivit. Nobis videtur eam vivere ac movere, pedetemptim ac magna cum circumspectione, in mundo reali in quo invenitur. Qualitates quas praesentes deprehensit in Roberto (absentes autem in Carolo), non exsistebant tantum in propria romantica phantasia; exsistebant *realiter*, in Roberto, ac sic ab ea comprobatae erant. Psychologicae theoriae Iudicum nobis videntur qualicumque fundamento in Actis omnino carere. Notamus quoque quod peritus rotalis, Professor de Caro, opinatur quod subiificantur oportet «gravi critiche dal punto di vista scientifico-psicologico» (Summ. Alt. 48).

26. Praetermittenda non est epistula quam actrix, die 15 iulii 1969, parentibus scripsit, eos certiores faciens de decisione rumpendi cum Carolo matrimoniumque cum Roberto contrahendi. Iudices ne verbum quidem de hac epistula citant. Sufficiant haec excerpta: «I discovered many evidences

of immaturity in Charlie... Meanwhile I'm getting to know Bob better everyday — we're spending a great deal of time together these days. I perceive him as a very beautiful, very deep person —so respectful, so thoughtful, so gentle, so pure, so guileless, with so many other admirable qualities that can't be put in words... I love him very much and it's the sort of love that begins small, grows into admiration and respect, and then into physical attraction. It's not the type that begins with a surface infatuation, and then goes nowhere. The kind of love between us will continue to deepen because there's so much of a base of complementarity and of admiration... Well, as you can properly conclude - I'm in love with Bob and he loves me very deeply too. Everything is right so we've decided to get married!... I feel very right about this decision... I'm sure we'll have a beautiful life together» (I, 181-188).

Notandae etiam sunt conventi animadversiones circa hanc epistulam: «it doesn't reflect some poor little mixed up soul, fresh out of the convent who didn't know what she was getting into and leaped precipitously into an ill-fated marriage» (I, 166/127). «I don't know how a person could be more discreet, more rational, more lucid, more calculating than the person who wrote that letter» (I, 169/137; cfr pp. 212 §§ 219-220).

27. *Filios gignere: inter praecipua actricis motiva pro contrahendo.* Tribunal primae instantiae agnoscit: «Jeanne did well in religious life and enjoyed much of that life. However, there was still part of her that had a great desire and longing to be a mother and to be a wife» (I, 431). In Actis originalibus, utpote in Rota in initio receptis, omnes moniales quae cum ea vixerant, confirmant hoc esse motivum principale pro discessu a communitate religiosa (I, 314; 319; 322; 326; 328); quod adhuc firmatur in illis «Unincorporated Testimonies».

Sr. Evan R., eius Superiorissa aliis temporibus, dicit: «She tried to take her married life and her family very seriously... I saw as a basic reason for her leaving the convent a great need in her to mother a family» (III, 36/9). Sigrid H., amica quae etiam cum actrice in monasterio degebat, idem affirmat: «We talked about it and I know she desperately wanted to be the all American perfect family and to be a mother. She really, really wanted children» (III, 40/8; cf 41/13).

Michelle M. quoque ponit desiderium prolixi sicut motivum actricis pro matrimonio: «She realized that she always wanted kids... She could not have a divorced person and she could not have a non-Catholic so she had to find a single Catholic man with her same values; so her market was pretty well narrowed down and I guess Bob was there at the right ti-

me» (III, 48/8). Inter alios testes qui in hoc sensu deponunt enumerari debent Mary W. (III, 54/7) ac Sr. Mary David O. (III, 30/18).

Secundae instantiae Tribunal (II, 150), non minus ac illud primae (I, 434-435), videtur ponere, uti principium axiomaticum, gravem probari iudicij discretionis defectum ex eo quod quis, ob desiderium prolix, consentit in matrimonium ineundum cum viro erga quem profundum amorem «affectivum» non experitur. Ut in sectione *In luce innuimus*, hoc inadmissibile est.

28. *Peritia*. Secunda Sententia, pro conclusionibus suis roborandis, ad opinionem peritiale appellat: «We believe that the behavior of Mary Jeanne W. over a long period of time does manifest a number of characteristics of a personality disorder so that the opinion of the psychiatric expert can be accepted» (II, 148). Peritus, Dr. J.P.L., psychologus clinicus, uti Iudices antea admiserant, «would not make a definite diagnosis» (ib. 147). *Quin Acta causae legisset* (factum quod peritus ratalis, Prof. Didacus de Caro, describit sicut «veramente incredibile» sub aspectu scientifico: Summ. Alt. 49), quandam tantum «opinionem» profert, in fine sessionis cum officialibus Tribunalis, in qua ei quaestiones apertissime sugerentes posuerant (cfr pp. 104-107; praesertim quaestiones 1, 2, 3, 4; ac integrum folium 106). Speciali admiratione afficimur notantes terminos quibus membra Tribunalis (Iudex ac Defensor Vinculi: cfr II, 99) praesentant contrastum inter modum quo conventus, ex una parte, ac ipsi ex alia, causam interpretantur: «That's his reasoning. Our reasoning is...» Tribunal utitur periti servitiis, non ad cognitiones «specializatas» assequendas, sed tantum ad conclusiones iam formulatas roborandas.

Iuxta periti «opinionem», actrix «had not had sufficient time to resolve her feelings for the priest, Charlie S., that she had not known Robert V. well enough, and that she was probably just transferring her affections from one man to another... There's no way that she can transfer her emotions that quickly... I don't think this lady knew what love was... Her judgment was most superficial. There was nothing in-depth about it. Her judgment was disordered and that's all...» Peritus addit quod, si descriptio actricis ei tradita accurata est, «you might refer to it as a histrionic personality» (II, 104-106).

Prof. de Caro censurat superficialitatem huius Dr. L. «opinionis». Animadvertis insuper quod «la perizia psichiatrica deve essere documentata da una visita diretta ed adeguata del soggetto periziando, ove possibile; ed è chiaro che nel caso di Jeanne ciò era possibile, avendo il perito a disposizione la perizianda. E pare invece che il perito non abbia neppure letto di Atti, e ciò è veramente incredibile» (Summ. Alt. 48-49). Concludit quod examen, «così come è stato effettuato, è privo di ogni valore scientifico» (ib. 51).

Prof. de Caro opinatur nullum fundamentum scientificum tribuendum esse «diagnosi» Personalitatis Histrionicae: «si tratta di una caratteristica molto discussa come forma autonoma e determinata...» Ratione habita cum DSM-IIIR, affirmat: «delle 8 caratteristiche segnalate per poter fare quella diagnosi, *non una sola* si può sicuramente rinvenire nella personalità e nella condotta di Jeanne» (ib. 50).

Annotamus commentarium Prof. De Caro circa argumentum quod actrix ad matrimonium contrahendum in quodam statu perturbationis emotivae se determinavisset: «In un certo senso tutte le situazioni di intenso dinamismo emotivo-affettivo «disturbano» in qualche modo il tranquillo svolgimento di un'esistenza senza spunti o shocks emotivi significativi: ogni ragazza che si innamora vivamente e deve superare difficoltà e contrasti più o meno gravi, finisce per subire uno stato di *disturbo emozionale*, e ciò avviene sovente nella vita quotidiana; ma ciò non significa che il «disturbo emotivo» produca, come tale, uno stato di *incapacità* a effettuare valide scelte in ordine al matrimonio, valutazione di specifiche situazioni, conoscenza personale, ecc.» (ib. 46).

29. Notamus adhuc et duas responsione periti rotalis ad quaestiones quae ei posuimus: «Si può affermare con sicurezza che negli Atti —accuratamente esaminati— non esistono prove serie e scientifiche che possono dimostrare nell'attrice l'esistenza di un *grave stato psicopatologico* che abbia potuto compromettere la sua capacità ad esprimere un valido consenso matrimoniale» (ib. 43).

«... si può affermare con sicurezza che tutti i comportamenti della donna, quando ebbe la crisi religiosa e si rivolse onestamente alla sua Superiora per consigli, e nei successivi rapporti prima con Charlie —interrotti perchè non portavano al matrimonio— e poi con Bob, vennero gestiti con piena capacità critica ed adeguato giudizio mentale, in condizione di completa maturità psichica, sia intellettiva sia affettivo-sociale» (ib. 44).

Nobis vero videtur quod conceptus «maturitatis psychicae» ac «capacitatis criticae» quoddam elementum relativitatis semper continere debent; ideoque nescimus quomodo noster peritus concludat actricem in casu *completam* maturitatem psychicam, vel *plenam* capacitatem criticam possedisse. Utcumque, pro eo quod nostra interest, assumimus eius opinionem professionalem quod, sub aspectu scientifico, nihil est in Actis ad demonstrandum gravem statum psychopathologicum in attrice, qui eius capacitatem ad validum consensum matrimoniale praebendum vitiare potuisset.

30. His igitur, sive in iure sive in facto consideratis, Nos Auditores de Turno, solum Deum oculis habentes, Christi Nomine invocato,

pro Tribunali sedentes, decernimus, edicimus ac definitive sententiamus,
proposito dubio respondentes:

«negative» seu

«non constare de nullitate matrimonii, in casu, ob defectum discretionis iudicii in muliere actrice».

Mandamus ut hanc nostram definitivam Sententiam Ordinarii locorum atque Tribunalium ministri, ad quos spectat, notificant ac exsecutioni tradans, erga omnes quorum interest ad omnes iuris effectus, iuxta legis praescripta.

Datum in sede Tribunalis Romanae Rotae, die 18 iulii 1991.

Cormac P. BURKE, Ponens

Thomas G. DORAN

Kenneth E. BOCCAFOLA

Aegidius TURNATURI, Not.

Ex Cancellaria Apost. Trib. Rotae Romanae,

d. Aegidius Turnaturi, Not.